

crambas non exhibeat: penes te iudicium erit, sitné essentia, tinctura, & cætera, id quod dicitur, an *vetus* quoddam. Nō quidem ignoro, etiam præstantes probatosque autores occultandi sua inuenta & arcendi improbitatem caussa, varijs, iisque monstrosis nominibus eadem appellasse: sed tibi persuasum velim, concordem constantemque ipsorum fuisse semper mentem, quam cum non dictio fallax, sed rerum concursus & experientia aperuerit: non est vt hos impostorum similes facias. Poteris iam etiam superbiæ superciliosæ & ostentationi quorundam obuiam ire, & dum illi sibi mirificis titulis nescio quid ascribunt, ipse ex artis præceptis vel simile vel nobilius apparare. Sed emolumenta se tibi iponte offerent. Non opus est verboso patrocinio. Quædã saltem mihi in hoc nouo, & ferè ultra fidem audace conatu es admonendus. Negabunt multi, pertinaciterque inficiabuntur, me artem integram dare potuisse, quòd fieri non queat, vt occulta illa de Philosophorum lapide, & reliquis arcanis decreta mihi innotuerint, cum constet neminem, nisi Deo per oracula docente, magistrisque coràm monstrantibus, ad mysteria illa peruenire posse. Non quidem est vt Dei potentiam nostro æuo contractiorem putemus & iniquiorem quàm vetusto, cum beneficijs maioribus tecum mundi beauerit, quàm florem: Sed vt vt non assecutus iudicor, quod senserunt ipsi, non tamen locum caputque artis, quod ei tractationi debetur, ignorare methodus fuit. Mihi quidem (liceat enim parumper apud te stulto esse) satis evidens apparet Philosophorum dictio, & processus: Si tu eum non intelligis, non ob id de arte despera, nec eam imperfectionis argue. Multa sunt quæ non nisi magistrum perfectæ industriæ & experientiæ requirunt, nec possunt à tyrone confici. Sed ob id non spernenda, nec ex arte profliganda. Si hac parte non succedet, non est vt multum fides: sunt aliæ plures, in quibus facies operæ precium. Rogo verò ne irruas illotis manibus, nec, si non è vestigio respondet Vulcanus, me fraudis accuses. Nulli tyroni tam felix est ingenium, vt omnia prima aggressione inueniat rata. Discendum experiendumque sapius est, quod vt fiat sine facultatum detrimento, in paucis spectaturam, artemque experire. Stulti magnos sumptus profundunt in nondum sibi perspecta penitus, & imperitè damnant magisteria.

*Notabilis
de lapide
philosophor.
aliquid ad-
didisse ex ar-
tificum sen-
tentia, etiam si
eam forte
nec ego, nec
tu possimus
assequi. Est
autem ab-
surdum, et
cum Agrico-
la sentiamus
ad repudia-
re, quod à
tot sapienti-
bus est asse-
tum. Manet
at in medio.*